Hic Volbericus cum Henrico imperatore IIII
Romano vadens pro ipsius coronatione, propter aliquam dissensionem inter Paschalem papam et ipsum Henricum Paschalis cum cardinalibus capitur et ipsi patriarche in custodia traduntur. Tandem factis compositionibus Henricus coronatur et post aliquod tempus procurante dicto patriarcha pax firma inter papam et imperatorem facta est, propter quod idem imperator multa privilegia Aquilegensi ecclesie concessit et concessa confirmavit.

Gerardus patriarcha sedit annis VIIII.
Hic de villa Premariaci apud Civitatem Austriam fuit. Bonis operibus plenus in Civitate predicta migravit ad Christum.

Pelegrinus patriarcha sedit annis XXXI.
Tempore istius fuit Henricus secundus in Aquilegia. Hujus etiam tempore Lotharius a papa Innocencio secundo coronatus; cui coronationi interfuit idem Pelegrinus et de regalibus fuit ab ipso imperatore honorifice investitus.

Pel.